

cinerem, sume paucillum terræ, in quam primævi anguis dolo rediimus, atque ea frontem memoriæque homini perfrica; ita facies, ut ad meliorem frugem se recipiat, et infra legum cancellos se studiosè contineat, et morum emendationi sollicitè invigilet: Pulvere e vestigio anguim collecto, sparse apes in alvearia revertuntur. Diabolus certe in unam nostram perniciem maxime semper intentus, cum sciat, quæ nobis ex mortis recordatione emolumenta proveniant, ut illius quam minime meminimus, magnis modis laborat.

Ingredebatur S. David quondam castra Saulis, comites habens Abisai, et nonnullos fortissimorum robustissimos alios, invenitque tum regem, tum exercitum illius omnem alto somno sopitum. Vidit Abisai promptam, securamque trucidandi hostis opportunitatem, simulque suasit Davidi, ut ne tam præclaram occasionem elabi sineret, vitamque adimeret homini, perquem vix sibi vivere liceret. Respondit pius lex: « Vivit Dominus, quia nisi Dominus percuisset eum, aut dies ejus venerit, ut moriatur, aut in prælium descendens perierit, propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini. » I Reg., 26, 40, 41. Quid hic refrænavit Davidem, ut nullis suis in cædem infensissimis hostis adduci posset? Respondet S. Joannes Chrysostomus Homil. de David et Saul: Conspiciebat Saulem dormientem, ac de morte communi omnibus philosophatur; somnium enim nihil aliud, quam mors temporaria, et unius diei interitus. Ille ergo Davidem hac inferenda nece abstinent, quod vivam in dormiente Saule imaginem mortis videns, sibi etiam paratam, nec diu post forte si non ab alio, a Deo saltem inferenda cogitavit. At si mors plecta tantum valuit, mors ipsa quid non poterit?

Celebris illa Davidis neminem latet actio, quando Philisthæis urbem Bethlehemiticam obsidentibus, aquam cisternæ Bethlehemiticæ silitre cepit; quo intellecto desiderio, tres milites cum manifesto vitæ periculo inimicas penetrando phalanges, aquam attulerunt, Regique præsentarunt; at ille noluit libere, sed libavit eam Domino, dicens: « Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc nun sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt; et animarum periculum bibam? » Ubi S. Ambrosius, cur David aquam illam bibere recusavit, hanc assignat cau-

sam: Eo quod suavitate bibendi habere non posset, quæ proposita mortis horrore constaret.

Antiqui Idololatræ cadavera in cineres ac pulverem reducere solebant per ignem; forsitan ex astuti serpentis consilio, ut ita simul cum cadaverum dispersione, simul mortis progenitorum evanesceret memoria; sciebat namque, quantum sibi libellum ciret memoria mortis. MANSI, d. iii, n. 8.

S. Antonius sequentem ex Joanne Damasceno affert discursum: Quidam dum a facie Unicornis, ne ab eo devoraretur, velocius fugeret, in quoddam barathrum magnum cecidit; cum autem cederet, manibus arbusculam apprehendit, et in basi quadam lubrica et instabili pedes fixit; respiciens vero vidit duos mures unum album, et alterum nigrum incessanter radicem arbusculæ, quam apprehenderat, rodentes, et jam prope erant, ut ipsum abscederent; in fundo autem barathri vidit draconem terribilem spirantem ignem, et aperto ore ipsum devorare cupientem, super basin vero, ubi se sustentantem tenebat, vidit quatuor aspidum capita inde prodentium; elevans autem oculos vidit exiguum mellis de ranis illius arbusculæ exire, oblitusque periculi, in quo undique positus erat, se ipsum dulcedini illius modici mellis totum dedit. Quis igitur hominem istum non judicaret insanum, qui ita attendit ad illud medicum delectationis habendum, quod tam multiplicis periculi obliviscitur, tanquam cæcus esset, ac ipsum non videret; ideo orabat Psalmista: « Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte, » id est, in consideratione mortis, « ne quando dicat inimicus meus, » scilicet diabolus, « prævalni adversus eum, » scilicet per peccatum. Unicornis mortis tenet figuram, quod homines semper persequitur, et apprehendere cupit. Unde dicitur Job., xxxiv: « Numquid volet rhinoceros servare tibi? » Rhinoceros est unicornis, et iste non vult alicui servare, quia mors nemini vult subijci, aut parere, ita ut elephantem etiam cornu et ventrem figens interimat, quia scilicet mors quemcumque virtute, vel scientia, aut potestate magnum interimit. Barathrum mundus est omnibus malis plenus; arbuscula minuscujusque est vita, quæ per horas diei et noctis, quasi per murem nigrum et album, incessanter consumitur et incisioni appropinquat. Basis quatuor aspidum, corpus et ex

quatuor elementis compositum, quibus indordinatis, corporis compago dissolvitur. Draco terribilis, est infernus cunctos devorare cupiens. Dulcedo ramusculi mellea, est delectatio fallax mundi, per quam homo seducitur, ne suum periculum intueatur, et sic dum mundi delectationibus vacat, et se moriturum non considerat, consumpta radice arbusculæ, et base destructa, in fossa tum cadit, et ibi desiderium peccatorum peribit; sed dum mortem bene recogitat propinquam, mel dimittit delectationis mundanæ, et peccatorum et periculum evadit. S. ANT. p. I, tit. v, c. 1, § 10.

Eadem stultitia nonnullorum, mortem minime considerantium, sed ad radices in hoc mundo agendas contententium, sequenti similitudine exprimi potest. Si quis edificium exstructum habet juxta impetuosum torrentem, qui contiguam identidem rodet et absumeret terram, illius autem fabrica non nisi ad tres vel quatuor ad summum distaret palmos, num quis adeo ab omni mente alienus foret, ut inibi curiosa extruere æstiva ambulacra aut cubacula auro distincta, pretiosisque incrustata lapidibus, ut status inibi erigeret, aut picturas celebriores? Si namque fabricam suam vel unico instanti pertimescit abripiendam fluminis impetu, nullos unquam singulares adhibebit sumptus, aut suam circa hujusmodi edificium applicabit mentem. Quorsum igitur et quandiu nos insaniamus in extruendis vanitatum turribus, qui omnes morimur, et quasi aquæ delabimur in terram? Veritas indubitata et practica est, quoniam aquæ illæ vicinæ sunt, nostrisque inhiant faucibus, et nihilominus quis est, qui hoc ipsum consideret ex omnibus? Omnibus mors imminet, et nihilominus indefinenter suum quilibet ingenium, peculium, tempus, et quicquid possidet, in domus hujus fabricam expendit, atque dilapidat, nullo mortis, quæ identidem humeris imminet, habito respectu. MANSI, d. 7, n. vii.

Cum Dominus vineæ ficulneam infructuosam amputari jussisset, vinitor se interposuit, rogavitque, ut saltem unius anni spacio eandem toleraret, promittens omnem ex parte sua diligentiam et industriam, ad hoc requisitam, ut fructificaret. Sed quomodo id se obtenturum sperabat? « Usque dum fodiam circa illam, et mittam stercore, » Fossa autem et stercora illa mortem præfigurant, quia memoria putredinis, ver-

mium, et sepulture optimum est remedium: ut anima aliqua antea sterilis honorum et virtuosorum operum referat fructus. IBD., Disc. 1, n. 5.

Si tam potens et efficax est mortis recordatio, non sim nimius, si illius potentiam cum virtute Nominis Jesu quodammodo contendere posse dicam. Quæ alia tam valida et invicta arx, ac dulcissimum Domini nostri nomen! De illo inquit Salomon, Prov. xviii, 40: « Turris fortissima nomen Domini. » Ad ipsum currit justus, et exaltabitur. Salazar, insignis harum præcæmiam interpretis ait, quod ea verba multi Hebræorum de ineffabili nomine Jehovah accipiunt, ad sanctissimum autem nomen Jesu alii consequenter trahere contendunt, propter affinitatem litterarum utriusque nominis. Sacrosanctum ergo hoc Domini nostri nomen munissimum turris est, qui in eam sese recipit, is exaltabitur, et gloriose de hoste triumphos refert. SALAZAR, ap. NYS. Dom. 13 post Pent. § 2.

Quotiescumque Summus Pontifex aliquis in Basilica S. Joannis Lateranensis solemniter possessionem capit sui Pontificatus, levis quædam caput virgæ summitati affixæ accenditur, quæ post editam luminosam quamdam flammulam, in fumum et cinerem in momento redigitur, ut per hanc ceremoniam omnium humanarum dignitatum, quæ cito in cinerem convertuntur, fugacitas electo Pontifici insinuetur. Unde præco quidam clara voce clamat: « Beatisime Pater, sic transit gloria mundi. » Quibus verbis addi merito posset: « Neque descendet tecum, vel cum eo gloria ejus. MANSI, d. 6, n. v.

De consuetudine aliquando fuit Imperatorum, quod, cum essent electi, prima die coronationis eorum veniebat ad eum Lapidarius, deferens in manu sua tres vel quatuor petras marmorum diversorum colorum dicens: Jubeat Dominus Imperator, de quo genere marmoris veli sibi fieri sepulchrum, quia homo mortalis est; in hoc fiet ad dandum sibi occasionem humilitationis ex memoria mortis. Illæ namque manus, quæ sceptris moderabantur, quæ unico dumtaxat nutu validissimo, quocumque volebant, dirigebant, et desinabant exercitus, coram quibus totus contremiscebatur mundus, tandem a validissimis devorantur vermibus; caput illud, quod innumeri populi atque Provinciis leges decernebat, unico

ictu susque deque versum in sepulchrum reconditur; corpus, quod regio splendebat paludamento, fimeis coopertum conspiciuntur, juxta illud Isaïæ: « Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum est vermis. » S. ANTON., p. 4, tit. XIV, c. VI, § 7.

Joannes de S. Geminiano, Vincentius Bellovacensis, Berchorius, et plures alii de Basilisco aiunt, quod S. Ambrosius in Psalm. 118. Oct. 10, his verbis affirmat: Basiliscus si quodcumque prior viderit animal, fertur occidere, et allegatur, statim necari, qui potuerit a serpente hujusmodi prævideri; ipse quoque serpens mori dicitur, si fuerit hominis præventus aspectu. Visu perdit, ac perit, cædit, caditque Basiliscus. Quaero, cur mors malis est tam exitialis? « Mors peccatorum pessima. » Psalm. 33, 22. Cur justo tam salutaris? « Nam pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. » Psalm. 115, 15. Qui fit, quod justus morti vitam admittit, et peccatori mors mortem deteriorem adfert? Respondeo, mors Basiliscus quidam est. Qui mortem præmeditatur, ac diu ante quam adveniat, prævidet, nihil huic ab illa incommodi venit.

At quem illa præoccupat, et prior videt, eundem intoxicat, et necat. Et quoniam justus eam aspectu suo prævenit, propterea etiam vincit, et veneno suo exonerat. Mori dicitur, si fuerit hominis præventus aspectu; peccatorem vero, qui se videri priorem patitur, occidit. Allegatur statim occidi, qui potuerit a serpente hujusmodi prævideri. Hinc intelliges id, quod de venerabili illo sene Simeone S. Lucas ait: « Responsum acceperat Simeon a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Dominum. » Luc. 2, 26. Non dicit, quod sit mors illum visura, sed ille mortem. Hoc enim justus a peccatore differt, quod ille mortem prior videt, adeo etiam superat; hic prior a morte videtur, atque ideo maclatur. Ergo vigilemus, ut mortem diuturna meditatione præoccupemus, et visu venenatum hunc Basiliscum præveniamus; sic enim omne ab illo toxicum auferemus, atque in voluptatem, et vitam nostram convertemus. NYSS., l. c.

De militia Romanæ Tyronibus ait Vegetius lib. I, c. XVIII. Equi lignei hyeme sub tecto, æstate ponebantur in campo. Super hos juniores primo inermes, dum consuetudine proficerent, demum armati cogebantur ascendere: hoc enim assidua medi-

tatione faciebant, scilicet ut in tumultibus præli sine mora ascenderent, qui tam studiose exercebantur in pace. O quam prudenter dictum: In tumultu præli sine mora ascenderent, qui studiose exercebantur in pace! Quam ardua res, inter confusæ multitudines concurrentium militum, et omnia miscentium strepitu, dextre quidquam agere, si inter otia pacis non crebra exercitatione assueverit! Nullus tam confusus, ac tumultuarius, quam supremus vitæ cum morte conflictus, ubi et mortis timor, et Judicis multo gravior metus, et conscientie anxietas, et vitæ amor, et morbi acerbitas, et plura alia sunt, quæ omnia miscent, ut anima adspicere non possit, quomodo recte tunc agere possit, quæ non diuturna, frequentique meditatione ante ad hanc se pugnam studiose comparat. IB., Dom. 8 post Pent., § 2.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Mors falcata pingitur, qualem olim S. Joannes vidit, similem Filio hominis, habentem in capite coronam auream, et in manu sua falcem ætream; nam ut Christus omnium Juxta, sic mors omnium est carnifex, et falx utriusque est index. APOC., XIV, 14.

Diogenes Cynicus inter bustuaria obambulans seiscilanti Alexandro, quid ibi ageret? Patris tui Philippi, respondit, calvariam quaero, sed internoscere nequeo: tu, si potes, ostende. BES., conc. 2, de Mor., p. III.

Idem rogatus, num quid mali esset mors? respondit: Quo pacto malum, cum præsentem non sentiamus? quod autem abest, nulli malum est. Dum sentit homo, vivit; nondum igitur adest mors, quæ, si adsit, abest sensus. Malum autem non est, quod non sentitur. LAERT., l. VI.

Tres sunt nuntii mortis, Casus, Infirmas, Senectus; Casus dubia, Infirmas gravis, Senectus certa denuntiatur. Casus nuntiat mortem latentem, Infirmas apparentem, Senectus præsentem. Ex hac incertitudine mortis timor, ex gravitate dolor, ex certitudine Senectutis non obstinatio, sed humilitas et afflictio sequi debet. Hæro, de Claustro animæ, l. II.

Gorgias jam vicinus morti, et sensim in somnum delapsus, cum quaesitus fuisset,

quid ageret? jam somnus, respondit, me fratri suo tradere incipit. LAER., l. VI.

Mors non est gloriosa, sed fortiter mori gloriosum est. Nemo mortem suam laudat, sed eum, cujus mors abstulit animum: interest, utrum malitia illi, an virtus manum admoverit. Mors enim, quæ in Catone gloriosa est, in Bruto turpis et erubescenda. Cato illa honestissime usus est, turpissime Brutus. SEN., epist. LXVIII.

Guilielmus Dux Bavarie in somno vidit cervum eminentis staturæ in altero cornu campanulas, in altero accensos cereos serentem, qui a venatoribus canibusque agitatus, cum omnes effugiendi vias interclusas cerneret, in apertum cœmeterii D. Virginis sepulchrum fugit, ibique captus et occisus est. Ex quo somnio evigilans Princeps, ego, inquebat, sum ille cervus, quare et in dicto cœmeterio sepeliri volo. Quod et factum, morte brevi secuta. DREX., in prodr., c. I, § 35.

Olim paravit Deus vermem ascensu diluculi, et percussit hederam, et exarnit. Hedera talis homo est, vermis mors. JOANN., IV.

Militia est vita hominis super terram: tessera nostra pulvis est; hinc hominem agnoscat. Memento ergo homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris. BRES., conc. IV, p. I.

Recte cecinit quidam Poeta:

Nudus ut in terram veni, sic nudus abibo.
Quid frustra sudo, funera nuda videns.

Barlaam mortem Unicorni ferocienti et hominem insequenti comparat, vitam arbori, in qua homo se aliquandiu sustentat, donec a duobus muribus, albo, et atro (puta die ac nocte) radice assumpta, cum arbore cadat. Infra ipsum scrobem apertam (orbem miseris refertum) et in ea Draconem horrendum (infernas fauces) ex quatuor vero lateribus, quatuor aspides (elementa) fingit. An non ergo merito homo timeat? an non stulte agit, si sui securus guttam mellis ex arbore decerpit?

Senex quidam cum mors raptura hominem adisset, illeque quereretur, se monitum nunquam fuisse, respondit illa, sat monitum esse, dum tot infantum, juvenum, senumque funera, et præterea suos etiam canos aspexisset; hos enim fidissimos mortis nuntios esse. DREX., in prodr., c. II, § 2.

Numa Romanus Rex in cubiculo suo speculum appendit, calvis mortuorum circumcinctum, quos inter hoc lemna legebatur: Speculum hoc non fallit. ENGELGR., in Festo V. S. Francisc. Berg.

Sed et Seneca ait, inventa esse specula, ut homo seipsum nosceret; ut juvenis fatatis flore admoneretur, tempus illud esse discendi; senex ut in decora canis deponeret, et de morte aliquid cogitaret. SENECA., l. I, Nat. qq., c. XII.

Viderat in reductione S. Mariæ Majoris parvulus, necdum rationis compos frequentem in templo æquias, a quibus domum reversus in defuncti modum corpusculum humi componebat; patremque suum rogabat, ut morienti sibi potestatem faceret. Usurpavit id sequenter puerulus, donec pater repetitis toties precibus commotus: Si te, ait, filii mi, evocare Deus voluerit, non inficior, ut qui illius nutum observare in omnibus studeam. Morem, filii mi, morem, si Deus te mori voluerit. Hoc patris accepto responso exurgit puer valens, ac vegetus; atque ubi se morientis in morem in lectulo compositum continuo moritur. In ann. Faraguar. 16, 33, c. xxx.

Reverendi P. Petri Fourier, qui anno 1565. Miracuræ, Gallie Metaincour, prid. kalend. Decemb. in Lotharinga natus est, Pater, Dominicus Fourier mortuorum, collectis viribus pileolum capiti detrahit, ac junctis manibus oculisque in cœlum fixis mortem expectabat. Consanguineis monentibus, ne nudato capite malum auferet, respondit: « Nemo vestrum Principi donum, aut litteras offert, nisi detecto capite. Ego quoque animam a Deo mihi tot annis commodatam, ut qua par est, reverentia offeram maximi momenti donum, permitte. » Ita hoc situ mortuus est. Vita, l. I, c. I.

Carolus VIII. Gallie Rex 7 Aprilis 1498. cum conjuge sua Britannica iturus ad spectandos nobiles in fossa arcis Ambianensis pila lusuros, ambulacrum adit, in cuius male sartis limine et postibus, capite, staturæ licet ipse non alta, offendit; inde spectans ludos hilariter cum Regina, subito catarrho opprimitur, amisso omni sensu, et sensuum functione. Ita sui imos decidit in cloacam, quæ illi proxima erat; neque ulli e regis ministris, qui adstant, in mentem venit, Regem in regium lectum deportare, qui inde non nisi viginthi passibus distabat. Jacuit in loco tam foetido novem

horas, et inibi mortuus est. Ita Rex florentissimus, et liliorum, nuper adeo post obtentas geminas insignes victorias, et occupatum regnum Neapolitanum, totamque Calabriam et Apuliam, non alium mortis locum habuit. LUD. GAV. t. 1, l. IV, c. x.

Cleopatra varia genera collegit venenorum lethalium, quorum singula ut periclitaretur, quod minimum doloris sensum afferret, obtulit rerum capitalium custodiis; ubi animadvertit, ea quæ mortem accelerarent, cum dolore maturare, leniora autem defici celeritate, transit ad bestias. Aspiciat cum alia aliis amoverentur. Tractabat id quotidie, atque in omnibus pene unicum invenit aspidis morsum citra contractionem membrorum vel gemitum, gravem soporem et torporem inducere cum faciei molli sudore, et sensuum stupore facile elanguescentium, et ægre ferentium, sicut qui alto somno mersi sunt, expergefieri, aut excitari. Hinc eidem paranti sibi clam necem inferre eo ipso die, quo etiam post balneum splendide epulata est, cista rure veniens allata est a quodam, qui a satellitibus rogatus, quid ferret, depositis foliis, ait se ficos ferre Cleopatram. Laudantibus ficos, arriens invitavit, ut sumerent, sed abstinere. Tum referata janua in lectum se condidit, in aureo jacens lecto, regio cultu exornata: aiunt aspidem inter ficos illatam, foliisque fuisse oblectam. Ita enim jussisse Cleopatram, ut ignorantis corpus bestia invaderet; ut igitur de ficis tollens eam conspexit, brachium nudatum morsui ejus præbuit. PLUTARCH., in Antonio.

UTILITAS. — Nil melius æterna Lex fecit, quam quod unum introitum nobis ad vitam dedit, multos exitus. SEN., ep. DCLXXX.

Ægyptii olim in divitum epulis cadaver ligneum ostendebant dicentes. « In hunc intuens pota, et oblecta te, talis post mortem futurus, ut hoc frano intemperantiam coercerent. » HEROD., XVIII.

Agis interrogatus, quo pacto quis libertatem tueri posset? si mortem, inquit, contempserit. Cum vero injuste ad laqueum damnato licetor quidam flendo condoleret, desine, dixit illi, vicem meam flere; nam sic moriens, melior sum iis, qui me occidunt. PLUTARCH., in Laco.

Mors et exiliū, et omnia, quæ in malis habentur, ob oculos tibi quotidie versentur, omnium vero maxime mors; sic nihil unquam humile cogitabis, nec impense

cupies quiequam, inquit, sapienter Epicetus. EPICT., in Enchir., c. XXVII.

Aquila cervum expugnatura, multum pulverem exentit in oculos, et pennis ora verberat, donec præcipit in rupes; sic Ecclesia in die Cinerum cineres capiti inspergit, ut nos hoc pacto per mortis memoriam sibi, et Deo subjectos efficiat. PLIN., l. X, c. IV.

Simonides Philosophus poscenti a se Pausaniæ Regi Lacedæmoniorum, ut memnosymon e Philosophia promeret, e quo melior evadere posset: Hominem, aiebat, te, et mortalem memineris. PLUT., in Consol.

Solon ad elatos spiritus Græcorum retundendos, Delphici templi valvis inscripsit: Nosce teipsum: quis, unde, quo tendas, nam vivendo moreris, et moriendo vivis. BRESSEUS, conc. 1, de Mort.

Saladinus domitor Asiae indusium suum post mortem in pertica suspendi, simulque clamari jussit: Hoc spoliū Orientis terror, et domitor Asiae Saladinus ex toto triumphis secum abstulit. Fulg., l. I.

Pavo cum oculatæ iridis sinuosa volumina pandit, ubi nigredinem pedum conspexit, mox cristam cadere sinit; idem evenit homini ob sua dona et talenta elato, si pedes suos, id est, vitæ exitum, et quid post mortem futurus sit, consideret.

Cum Agamedes et Thriphonius Architecti pro constructo Apollini fano mercedem ab eo, quam optimam haberet, postulassent, respondit ille: Post octiduum voli composes eritis. Unde die septimo ambo mortui sunt, quasi a Deo nec dari, nec peti melius quam morte possit. PLUT., ap. BES., c. 7, de Mort.

Plato relicta Atheniensium civitate, cum quibusdam suis discipulis in villa quadam antiqua et ruinosa commemoratus est, ut timore periculorum, ex frequenti terræ motu ortorum, in se vitia carnis et inordinatas alias concupiscentias refrænaret. S. HIER., l. II, contr. Jovin.

Cum de Thespesio scelerato homine oraculum fuisset consultum, num quæ spes foret ipsum emendandi? responsum est: Melior erit postquam mortuus fuerit. Paulo post itaque gravi casu collisus ad terram per triduum exanimis jacuit; reversus tandem ad se, retulit quemdam e suis cognatis ad se accessisse, dixisseque: Salve Thespesi, cumque ille diceret, se Aridæum vocari, subjecti cognatus: Aridæus fuisti, sed deinceps Thespesius, id est, divinus

eris. Et sic factum vita post acta probavit. PLUT., de Sera Num. vind.

Memorare novissima, ait Siracides, et non peccabis; et non ait memorare primordia aut media: validior enim et vehementior est Spiritus timoris ad resistendum peccato, quam pudor, et dolor; quia pudor de similitudine, et dolor de qualicumque hujus mundi consolatione capit solatium; timor vero non invenit, ubi consoletur. S. BERN., s. de Prim. medit. et noviss.

Inter sancta et desiderabilia loca sepulchrum tenet quodammodo principatum, et devotionis plus nescio quid sentitur, ubi mortuus requiescit, quam ubi vivus conversatus est. Id., s. ad Milit. de temp., c. 11.

S. Joannes post alios tres equos vidit quantum pallidum; et qui sedebat super eum nomen illi mors.

Rex Evangelicus solos illos admisit ad nuptias, qui vocati sunt apud exitum viarum: illi autem juxta S. Albertum Magnum, sunt in exitibus viarum, qui mortem suam jugiter prospiciunt, et qui se credunt quotidie morituros. Et certe tales dignos se efficiunt, ut ad Christi nuptias introire mereantur; quicumque enim mortis suæ efficaciter recordantur, student esse patientes, continentiores, et obediētes. S. ALBER., in c. XXII. Matth.

Etsi Christus illos, quos a morbis curaverat, exhortatus sit, ne deinceps amplius peccarent; nulli tamen a morte resuscitato similem adhortationem fecit, eo quod mors ipsa utpote optimus magister, eos imbuendos susceperit, ut Nyssenus discuit. NYSSENUS, s. in die Cin., § 4.

Cum Christus regionem Gerasenorum intrasset, occurrerunt ei duo dæmonia habentes de monumentis exeuntes: super quæ verba S. Petrus Chrysologus dicit: « Exeunt de monumentis, et versa vice captivos ferunt, a quibus fuerant captivati; sistunt penis, quorum cruciatibus torquebantur, nimirum ex representatione mortis roborati. » S. PETRUS CHRYSOLOG., fol. 16.

Licet poena inferni reipsa sit gravior, quam mors corporis, comminatio tamen corporalis mortis ærior, et vehementior est ad commovendum hominem; hinc Deus Adamo mortem, non infernum minatus est, si velitum pomum comesturus esset. NYSS., in fer. 3 post Dom. 4 Quad., § 3.

S. Ambrosius quærit, cur S. David ab aquæ, quam tres robustissimi per mediam

Philistinorum aciem cum periculo vitæ penetrantes attulerant, potu abstinerit? et respondet: Suavitatem bibendi habere non poterat, quæ propositæ mortis horrore constabat. S. AMBR. in apol. David. Nemp, ut addit Nyssenus, ob oculos mortis, licet solum cogitata, nulla est sine multo felle voluptas, nulla sine amarore dulcedo, nulla sine anxii curis deliciæ. NYSS., l. cit.

Deus primis parentibus post offensam tunicas pelliceas ex pellibus mortuorum animalium iniecit, ut expressam suæ fragilitatis imaginem cererent, eis iuxta, quod paulo post futuri essent, perdiscerent; de quibus tunicis sic loquitur Theodorus: « Tunice pelliceas dedit illis Deus ex ineffabilibus thesauris, quare minime quærendum est, unde eas attulerit. » Nam, ut Isidorus advertit, tunica appellata est, quia in metu incedentis sonum facit; tonus enim sonus est, unde primis parentibus tunice pelliceæ post lapsum sunt factæ, ut perpetuum suæ fragilitatis et instabilitatis monitorem haberent. ISID., l. XIX, Erym., c. XXII.

S. Chrysostomus quærit, cur paterfamilias novissimis vineæ operariis eandem ac primis mercedem dederit? et respondet: primos operarios fuisse ex justis primi sæculi, qui, quia ætatem suam prolixiorem cogitabant, quodammodo negligentes eos faciebat circa justitiam, et refrigerare faciebat animas eorum expectatio sæculi longioris, et illis infrigidatio erat cognoscere mundi spatia esse longiora; ad postremi, quia brevitate vitæ ob oculos habebant, seipos incitabant, et accendebantur amore Dei, ut, quanto brevius habebant spatium temporis, tanto ferventius in vinea Domini laborarent. S. CHRYS., ap. NYSS., loc. cit.

De Sponsa olim dixerunt Superi: Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris; et universi pulveris pigmentarii; CANTIC. s. 6. Ubi eme omnigenis virtutibus per pulverem universum intellectus repletam fuisse ex eo colligunt, quod myrrham et thus, id est, studium orationis, et considerationem mortis, velut radices et causas omnium virtutum habuerint; nam, ut bene S. Aridæus Magnus advertit, quicumque mortis suæ efficaciter recordantur, student esse continentiores et obediētes: nituntur semetipsos per veram contritionem, et peccatorum confessionem a peccatorum maculis

expiare, non negligunt eleemosynas suas. Pauperibus erogare, non cessant orationibus ac alii bonis operibus invigilare. S. ALBERT., fol. 6.

Plinius de apibus scribit, quod pulvere ex vestigio anguim collecto sparsæ in alvearia revertantur; idem hominibus accidit, qui, si a justitia et bonorum operum studio discedunt, cinere, qui ex primævi anguis dolo collectus est, conpersi ad alveare suum, idest, vitæ melioris statum revertuntur. PLIN., l. XXXVI, cap. ult.

Observat acute Cajetanus, quod Deus olim serpenti dixerit: « Inimicitias ponam inter te, et mulierem. » Et numerum pluralem propterea usurpavit, quia non sufficit inimicum esse diabolo quoad ea, quæ sunt fidei aut spei, sed oportet inimicum esse secundum omnes partes, secundum ea, quæ sunt castitatis, abstinentiæ, misericordiæ et reliquorum sanctorum officiorum. CAJET., in c. III, Gen. Has autem inimicitias quomodo procurare debeamus, docet S. Climacus, sic gulam loquentem introducens: « Inimicitias per omnia contra me gerit mortis intenta cogitatio. » Unde aliqui virtutem et efficaciam hujus considerationis, efficaciam nominis Jesu comparant, aiuntque illi suo modo applicari illud elogium posse: « Turris fortissima nomen Domini; ad ipsum currit justus, et exaltabitur. S. CLIM., gr. XIV. Hinc Evagrius ait: « Ad omnem anhelitum nomen Jesu et mortis meditationem adjuuge; ingentem enim ambæ utilitatem afferre consequerunt. » EVAG., ep. ad Anas.

Card. Reginaldus Polus eum audivisset Henricum Regem quinquaginta millia aureorum promississe illi, qui ipsum occisurus esset, miratus Regis amentiam dicit jam dudum se hujus vitæ tædio affectum, mortem desiderasse, nec Henricum aliud agere, quam si quis ire dormitum cupientem, vestem velit detrahere. SAND., l. I, Schis. Angl.

NECESSITAS. — Veteres, ut S. Fulgentius notat, mortem non immerito Atropos, id est, sine ordine vocarunt; quia mortis conditio sine lege venit.

Illæ verba Apostoli: « Statutum est hominibus semel mori; » varii varie explicant; nam Theophylactus legit destinatum est, seu electum, et certo fini assignatum. Alii destinatum, id est adstrictum, alligatumque mortis legi ac imperio. S. Chrysostomus legit institutum, ac si diceret: Hæc est professio hominis, ut suo tempore moriatur.

Illud Psalmistæ: Cinerem tanquam panem manducabam; Venerabilis Beda sic exponit: « Cinerem tanquam panem manducabam, id est, memoria infirmitatis et conditionis meæ, qua memini me pulverem, et cinerem esse, panis mihi est, refectio mea. Hinc et Christus docuit, panem quotidianum hodie petere, ut incertitudinem horæ ultimæ semper ob oculos haberemus. » Unde exclamans S. Augustinus ait: « O Sapientia vera, et divina providentia, quæ docuit et panem suum petere, et hodie nominare! hoc enim dicto et aviditas cum avaritia tollitur, et humanæ vitæ insinuatorum incertum, etc. » Competenter ergo oramus: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, quia crastinus dies, quid pariat, ignoramus. Ps., CI, 11. BEDA, l. de Trad.

Etiā in illa sententia: Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum; MATT. XVIII, 3. mortem nobis Christus in memoriam revocare voluit; nam, ut Nyssenus ait: « dicere quodammodo voluit, neminem potiturum æterna beatitudine, nisi existimatione sua mortuo similis fiat, ut per omnia similis puer est. » Hinc Artemidorus aiebat: « Si quis somniaret se puerum esse, ægrotanti mortem prænuntiari, quandoquidem et mortui lacris involvuntur pannis, et linteolis, quemadmodum infantes, et humi deponuntur. NYSS., s. 1, in die Cin., § 2.

Mundi conditio similis est illis locis, quæ Castellani Behetria vocant; ut enim in his, quantumcumque sit aliquis nobilis, tributum pendere debet; ita et in mundo nemo eximitur a mortis tributo pendendo. NYSS., § 1, in Fer. 5 post Dom. 4 Quad.

Rupertus Abbas quærit, cur Abraham post mortem uxoris Saræ, Deus non amplius apparuerit? et respondet, quod prius ob varias insidias et tentationes robore, et consolatione egebat; post mortem vero Saræ, mors ipsa hoc robur conferebat; nec enim ars est tam munita, nec murus tam validus, qui adeo suos tueatur incolas, quemadmodum seria mortis cogitatio omnem ab animo tentationem prohibet, atque adversus insidias diaboli, mundi vanitates, et blanditias carnis defendit. RUPERT., in c. XXXV Gen.

CERTITUDO MORTIS. — De hac recte Poeta:

Tendimus huc omnes, metam propegramus ad unam.
Omnia sub leges mors vocat ætra suas.

OVIN., ad Livium.

Et alius:

Omibus est eadem lethi via: non tamen unus
Est vitæ cunctis, exitique modus.
CORNEL. GALLUS.

Et iterum alius:

Quidquid habet ortus, finem timet: ibimus omnes,
Ibimus, immensis urnam qualis Eacus umbris.
STATIUS.

Cui nasci contingit, mori restat: inter-
vallisque distinguimur, cætera æquamur.
CORNEL. GALLUS.

Sed, et alius:

Est commune mori: mors nulli parcat honori;
Dives, et fortis veniunt ad funera mortis.
Ap. BESS., concl. II.

INCERTITUDO QUOAD TEMPUS.

Fleres si scires, unum tua tempora mensem.
Rides, cum non sit forsitan una dies.
ISCRINUS, p. 1, c. XXIII.

Quis scit, an adjectant hodiernæ crastina vitæ
Tempora Di superi?

Iphicrates semper in armis stare exercitum volebat, etsi in solo amicorum consisteret: cansam rogatus respondit: « Ne ex improviso obrutus dicere cogar: Non putaram: quanto magis idem in militia Christiana faciendum est. » PLUTARCH., in Apoph.

Annibal, quamdiu Scipionem sibi instare sciebat, arma nunquam exiit, nec dormivit, nisi vigilantibus Ducibus; quid Scipio ad mortem? merito ergo Cicero: Morientium, inquit, certo est, sed incertum, an eo ipso die. Mortem igitur omnibus horis impendentem timeas? CICERO, in Caton.

MORS DESIDERANDA. — Quid fles miser? quid trepidas? omnes hæc necessitate ducuntur: eo ipsis, quod omnia eunt. Ad hanc legem natus es. Hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc omnibus ante te, hoc omnibus post te. Quantus te populis moriturum sequetur? quantus concommittabitur? Fortior, ut opinor, esses, si nulli tibi commorerentur, multa millia hominum hoc ipso momento, quo tu mori dubitas, animum variis generibus emittunt; an non putabas, te ad id aliquando perventurum, ad quod semper ibas? nullum sine exitu iter est. SEN., Epist., LXXVIII.

Proh Dii immortales! quam iter illud ju-

cundum esse debet, quo confecto, nulla reliqua cura, nulla sollicitudo futura sit! CICERO, c. 7. Tusc.

Nemo censet fugiendam esse mortem, quam immortalitas sequatur. Jam sensus moriendi, si aliquis esse potest, is ad exitum tempus durat, præsertim seni: post mortem autem aut sensus nullus est, aut optantus. IDEM, l. III.

Stultum est timere, quod non possis vitare. Mortem non effugit, qui etiam distulit. Moriar nec primus, nec ultimus, omnes me antecesserunt, omnes sequentur: hæc conditio intravi, ut exirem. SENECA, Ep. LXXXVIII.

Nullum malum, quod extremum est. Mors ad te venit; timenda erat, si tecum esse posset. ID., de Con. mort.

Stultum est, somno delectari, mortem horrere, cum somnus assiduus sit mortis imitatio. ID., in l. de Morib.

MORS BONORUM. — Callierides percontanti, quam ob causam viri fortes gloriosam mortem ignominia anteponebant? respondit, quoniam alterum naturæ proprium, alterum suum esse ducunt; nam naturæ beneficium vivunt et ignavissimi, at mori fortiter non contingit, nisi virtute præditis. PLUT., in Lacon.

Cygnus interrogatus a Ciconia, cur ante mortem canere liberet? respondit, id aut spem vitæ melioris, et futuræ felicitatis præsagium provenire, quæ in eo consisteret, quod et a quærendi victus cura, et insidiarum metu absolveretur. LANGIUS, in Polyant.

Quomodo fabula, sic vita: non quam diu, sed quam bene acta sit, refert. Nihil ad rem pertinet, quo loco desinas. Quocumque volēs, desine; tantum bonam clausulam impone. SENECA, Ep. LXXVII.

MORS IMPIORUM. — Illi mors gravis incubat, qui notus nimis omnibus, ignotus moritur sibi. SENECA, in Trag.

Bias percontatus, quod genus mortis malum esset? « quod legibus constitutum est, respondit. » Hoc enim solum propudiosum est, utpote ex delictis ortum. MAXIM., s. XXXVI.

Fridericus Imperator iis Principibus, qui crudeles fuissent, merito mortem dicebat extimescendam, quia, quales se aliis prestiterat, tales in se judicis inventuri sunt.

Aristoteles quærens cur Olores in morte canant, Sirentes plorent? respondet, cau-

sam esse, quia in Cygnis purissimus, in Sirenibus vero impurus sanguis ad cor fluit. Rectius tamen hoc de justis, et injustis dicitur, ex quibus hi merito gement in morte, ob impura opera ad cor, et memoriam, fluentia; illi autem propter conscientiam recte factorum merito gaudebunt, et canent.

AXIOMATA.

Mors servat legem, tollit cum paupere Regem.

Ad lectum, ad lethum, dicebat Lipsius, dum morbo correptus decumbere cœpit.

Qualis vita, finis ita.

Qualis mors, talis sors.

AUCTORES.

Jeremias Drex., in *Prodomo æternitatis*.
Gabriel Inchiuus, de *Quatuor novissimis* part. I.

Dionysius Carthusianus, de *Quatuor novissimis*, a c. n usque ad xvi.

Petrus Canisius, t. IV, de *Noviss.*

Joannes Busæus, in t. de *Statibus hominum*, p. II, de *Statu morientium*.

P. Mathias Faber, in *Concionibus funebribus*, et in conc. 3, de *Quatuor Domini Adventus*.

Ludovicus Granatensis, in *Locis comm.*, fol. 803.

Philippus D'Outremam, in *Pædagogio Christiano*, p. I, c. viii, § 4.

Henricus Engelgr., *Embl.*, III, p. II.

Joannes Major, in *Speculo Magno Exemplorum*, V. eodem.

Josephus Langius, in *Polyantha*, V. eodem.

Antonius Daurollius, in *Catechismo historiali*, c. viii, a tit. I usque ad XIV.

Thomas Stapletonus, t. VII, in *Dom. 7*, et t. III, *Dom. 1*, et t. II, in *Dom. 23* et *24 post Pent.*

Laurentius Beirlynch, in *Theatro vite humane*, V. eodem, et in *Promptuario Evang.*, t. III, in *festo S. Joan. Evang.*

MORTIFICATIO.

QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est spontanea, liberaque animæ a vita carnali separatio, et virium tam externarum, quam internarum ab illicitis operibus dissolutio, ut Jacobus Alvarez eam definit. Exprimitur in S. Scriptura variis nominibus. 1. Et principaliter *Mortificatio* vocatur juxta illud S. Pauli: Semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. II COR., IV, 10. Vocatur autem *Mortificatio* potius, quam mors, qui non tam in ipsa sejunctione animæ a vita carnali, quam in luctu et conatu ad illam consequendam est posita: unde mors spiritualis est potius effectus mortificationis. 2. Vocatur *Abnegatio*, juxta illud Christi: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me. MATT., XVI, 24. 3. *Renunciatio*, juxta illud ejusdem Christi: Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. LUC., XIV, 33. 4. *Circumcisio*, juxta illud S. Pauli: Circumcisi estis Circumcisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, sed in Circumcisione Christi. COLOSS., II, 11. 5. *Jeiunium*, juxta illud Isaia: Nonne hoc est magis jejunium, quod elegi? dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes. IS., LVIII, 6. 6. *Odiû sui*, juxta illud Christi: Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit illam. JO., XII, 25. 7. *Violentia*, juxta illud Salvatoris: Regnum colorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. MATT., XI, 8. *Crux*, juxta illud ejusdem Christi: « Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus. » MATT., X, 38. 9. Denique etiam *Mors*, juxta illud S. Pauli: « Mortui enim estis: et vita vestra abscondita est cum Christo. » COLOSS., III, 3. Sumendo scilicet effectum pro ipsa causa, quo sensu Nierembergii dixit: « Quid est mortificatio, nisi mors anticipata? mors hominis vivi, mors ante mortem, mors spontanea, mors voluntatis, mors diffi-

cilior: » cui potiori jure conveniunt proprietates morti corporali a Seneca assignate, dum ait: Mors est naturæ lex, tribulum officinæ mortalium, malorumque omnium remedium, ut fusius, Alvarez, et Nierembergii ostendunt. EUS. NIEREMB., I, III, *Doct. asc.*, c. XXVII, *dis. III.*

DIVISIO. — Dividitur 1. in *Corporalem*, et *Spiritualem*: illa corpis exercet, et nomen penitentia; exterioris sortitur, cujusmodi sunt cilicia, disciplina, durus lectus, vilis cibus, asper corporis habitus, et similia, quæ suis carnem oblectamentis privant: ista in mortificatione passionum, proprietas amoris inordinati abdicacione consistit, et nomen interioris mortificationis accipit. S. AUG., s. XX, de *Ss.*

Dividitur 2. in *Activam*, et *Passivam*: illa est, per quam ipsi voluntarie eligimus aut acceptamus occasiones aliquid amori nostro proprio contrarium patiendi: ista est, per quam occasiones mortificationis ab obedientia, vel a proximo, aut alia quacumque via nobis obvientes amplectimur. ROBR., p. II, tr. I, c. vii.

Dividitur 3. in *Necessariam*, et *Liberam*: illa est, per quam appetitum nostrum ab illicitis desideris, et actionibus cohibemus, et propterea absolute necessaria est ad salutem: ita est, per quam a licitis voluptatibus aut operibus abstinemus, atque adeo iis, qui ad perfectionem tendere cupiunt, specialiter convenit. IS., c. XIII.

ACRUS. — Sensus suos, et potentias externas, puta oculos, aures, gustum, et odoratum, tactum non modo ab illicita operatione, et delectatione cohibere, sed ultra etiam objecta illis adversantia, et ingrata amplecti.

Linguam ab omni noxia inutili, aut frequentati locutione coercere.

Memoriam a vanis, importunis, et illicitis cogitationibus, aut phantasiis avertere.

Intellectum a rebus inutilibus, aut a noxiis addicendis, aut discutiendis cohibere, atque judicium suum aliis submitendum adigere.

Voluntatem ab omni amore proprio inordinato coercere, eamdemque deo et hominibus, quandoquomque honeste fieri potest conformare.

Passiones animi, amorem præcipue, et odium, gaudium, et timorem, et iram, ne extra rationis, et voluntatis divinæ semi-

tam evagentur et abripiant, studiose refrænare.

GRADUS. — Primus est, ut *peregrini* more, habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus, omnia alia velut impedienda rejiciamus, aliorumque facta et dicta surda aures prætereuntes; recto itinere ad Patriam tendamus, juxta illud Apostoli: Charissimi, obsecro vos, tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. S. BERN., s. VII *Quad. ROBR.* p. II, tr. I, c. ult. I *Petr.*, II, 1.

Secundus est, ut velut *mortui* nihil aut sentiamus aut agamus, nisi quod ad Dei gloriam, Christi imitationem, nostramque et proximi salutem conducit; hoc enim est, quod Apostolus Colossensis dixit: Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. COLOSS., III, 3. Hoc idem suavit Bernardus, dum dixit: Nemo ergo deinceps sibi vivat, sed ei, qui pro semortuus est. Cui enim justius vivam, quam ei, qui, si non moretur, ego non viverem? S. BERN., s. de *Dilig. Deo.*

Tertius est, ut non simpliciter mortui, sed cum Christi *cruci confixi* simus, atque adeo jure cum S. Paulo dicere possimus: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. GAL., VI, 24. Quem quidem gradum merito S. Bernardus tertium cœlum ob summam perfectionem indigitat.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidiè, et sequatur me. LUC., IX, 23.

Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. II COR., IV, 10.

Circumcidite igitur præputium cordis vestri, et cervicem vestram ne indretis amplius. DEUT., X, 16.

Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitis, et concupiscentiis suis. GAL., V, 24.

Subter te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius. GEN., IV, 7.

Propter te mortificamur tota die: astimati sumus velut oves occisionis. PSAL. XLIII, 22.